

4 457

Admodum R^{de} Pr. Accepi litteras R. Vrae et quae de officio, et
litanis B^{ae} Virginis Mariae ad nos transmisit. Non possum non ve-
hementer commendare studium R. Vrae in celebranda memoria sanctis-
simae patronae nostrae, quam omni laude dignissimam esse nemo plus
negare potest. Caeterum de adiungendis officiis propriis festorum
eiusdem B^{ae} Virginis ad breviarium, multis de causis hoc tempore
agi non potuit. Primum, quod iam breviarium sit editum, recognitum,
et reformatum auctoritate Clementis Octavi summi Pontificis, magno
labore, et annotationibus virorum doctorum, ex omnibus fore christi-
anis provinciis, mature discussis, et consideratis, neque deceat
tam cito aliam reformationem tentare. 2° Quod in reformatione
Breviarii non defuerint, qui similia officia propria inseri volu-
issent, et iustis de causis auditi non fuerint. 3° Quod reforma-
toribus breviarii a Summo Pontifice mandatum sit, ut nihil nisi
necessario immutarent, id est ea sola demerent, vel mutarent, quae
manifesti erroris convinci poterant; ea sola adderent, quae neces-
saria omnino viderentur. 4° Quod ecclesiae gravitatem, et constan-
tiam deceat, non facile mutare, quae a maioribus instituta sunt.
5° Quod antiphonae, et responsoria propria addi non possint sine
gravissimo sumptu ecclesiarum, et monasteriorum, in quibus habentur
libri magni precii cum notis cantus Gregoriani ad veteres antipho-
nas, et caetera responsoria. Itaque poterit R. V^{ra} pro sua devotio-
ne privatim legere officia illa propria, sed quod ea in communem,
et publicum usum recipiantur, nulla spes apparet. Quod ad litanias
attinet, cum sanctum generalis Inquisitionis officium maturo iudi-
cio vetuerit in publico usu recitari litanias alias, praeter eas,
quae habentur in breviariis, et missalibus, et eas, quae in aede sa-
crae Lauretana assidue concinuntur, non videtur tentandum, ut aliquid
ad eas addatur. Oro autem R. V^{am} ut non moleste feret, quod non audeam
ea proponere summo Pontifici, vel sacrae Congregationi, quae certe scio
non esse admittenda. Valeat R. V^{ra}, in ista Domini vinea fructum facere
pergat, meque Deo precibus suis commendet. Datum Romae, die 30 jan. 1607.